

## DE INUTILIBUS STIPULATIONIBUS.

9.39.1

*Imp. Antoninus A. Paulino.*

Ex stipulatione, in qua impubes sine tutore auctore spondidisti, non es obligatus.

*PP. k. Iul. Romae Laeto II et Cereale cons.* [a, 215]

8.39.2

*Imp. Alexander A. Menophilo.*

Libera matrimonia esse antiquitus placuit. Ideoque pacta, ne liceret divertere, non valere et stipulationes, quibus poenae inrogarentur ei qui divortium fecisset, ratas non haberi constat.

*PP. III non. Febr. Maximo II et Aeliano. cons.* [a. 223]

8.39.3

*Impp, Diocletianus et Maximianus AA. Isidoro.*

Ut inter absentes verborum obligatio, contrahi non potest, ita alteri, cuius iuri subjectus non est, aliquid dari vel restitui, nisi sua intersit, nemo stipulari potest. 1 ¶ Cum igitur, defuncta in matrimonio filia tua, superstitis filii nomine partem dimidiam dotis a marito detineri, alteram vero partem nepoti tuo vel, si is in rebus humanis non esset, Iuliano restitui per pactum convenisse proponas, praeventoque morte nepote etiam stipulationem ad Iulianum factam ob absentiam eius non valuisse significes, ac propterea ex persona ac stipulatione tua, qua restitui cuncta iuxta pactorum tenorem provideras, reddi tibi desideres: super stipulatu tuo adi praesidem provinciae, ut examinatis partium adlegationibus, quantum constituerit interesse tua, iuxta placiti fidem dotis portionem Iuliano restitutam fuisse, ob incertae actionis effectum .concludat condemnationem taxatae quantitatis.

*PP. id. Dec. ipsis IIII et III AA. cons.* [a, 290]

8.39.4

*Idem AA. et CC. Domnae.*

Ex eo instrumento nullam vos habere actionem, quia contra, bonos mores de successione futura interposita fuit stipulatio, manifestum est, cum omnia, quae contra bonos mores vel in pacto vel in stipulatione deducuntur, nullius momenti sint.

*PP. III k. Mai. AA. cons.* [a. 293]